Quelle: https://manuscripta.at/?ID=128
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

gismi diffinitione talia sunt que non
integre dispositos sillogismos a sil-
logismorum uerorum diffinitione discernant.
Nam quod dictum est in quo positis quibusdam
sumptorum scilicet et propositionum multitudo
monstratur. Sunt enim qui putant
esse huiusmodi sillogismi in quibus tamen
una propositio est. et una conclusio. qualis est hic
uidetur: Uiuit igitur homo est. Animal igitur est. Et
alia huiusmodi quos scilicet ueteres in
sillogismis non acceperunt. Sillogis-
mus enim est collectio. At uero collectio non
nisi plurimorum est. Et quicumque unam posu-
it propositionem. ille non colligit. Nullum igitur
faciet sillogismum. Debet enim sillogis-
mus ut angustissimus sit duabus pro-
positionibus comprobari. Quod autem dictum est
aliud quiddam necessario euenire
quam sint ipsa que concessa sunt.
quoniam frequenter tales ab aliquibus fiunt
sillogismi ut ea que proposuerunt
ipsa rursus in conclusione concludant ut
est hic. Si homo est. homo est. Homo autem est. Homo
igitur est. Idem enim conclusit quod ante
proposuit. atque ideo ad istorum discre-
tionem aliud quiddam contingere de-
bere dictum est quam sint ea que concessa sint.
ut in superioribus omnibus sillogismis
quos in trium figurarum modis et de-
monstratione posuimus. Tales uero sil-
logismi quales nunc dicti sunt ridi-
culi sunt. quod id quod ante concessum est.

quasi dubium quiddam in conclusione col-
ligitur. Nam quod positum est necessario con-
tingere. ad hoc pertinet quoniam frequenter ad
inductionem uere quedam propositiones sunt.
quarum conclusio nullo modo uera est ut si
quis sic dicat. qui musicam nouit:
musicus est. et concedatur. et qui arithmeti-
cam. arithmeticus est. et qui medicinam
medicus est. et qui bonum bonus est. Cum igitur hec
omnia concessa sint dicat. et qui malum
nouit malus est. Quod quasi superioribus
simile uidetur. sed omnino falsum est.
Boni enim homines non aliter cauent uitia
nisi prius nouerint. atque ideo propter has con-
clusiones que sunt per eas posite que per in-
ductionem dicuntur additum est conclusi-
ones in sillogismis necessarias contin-
gere. id est ex necessitate contingere. Est autem
alia expositio sed in analeticis nostris iam
dicta est. Illud uero quod dictum est propter ipsa que
posita sunt. hoc propter eos dictum est qui tales faci-
unt sillogismos. in quibus aut minus ali-
quid aut plus. aut aliud propositum est.
quam proponi debuerat. Fiunt enim huiusmodi
sillogismi. Siquis enim ita dicat.
Socrates homo est. Omnis homo animal est. et concludat.
Socrates igitur animatus est. minus proposuit quam
non dixit omne animal esse animatum. Nam si sic pro-
posuisset recte Socratem animatum esse concluderet
ita dicendo. Socrates homo est. Omnis homo animal
est. et omne animal animatum est. Socrates igitur animatus est.
plus autem proponere. hoc est ut siquis dicat.